

uno imbecilli statu, econtra vivunt tamen usque huc sufficientes, qui possunt animarum Curae providere, et quando v.g. Dominus Joannes Jacobus B r a n d e n b e r g esset moriturus [1726 übernahm Markus M u o s die Organistenstelle], Eius beneficium iterum per alium etiam non tam Scientiis acquisitis sed Musicae arte praestantem potest collocari. idcirco Dominatio sua me haud tam derelictum aut incapacem habere velit, ita ut dein irreparabile detrimentum patiar, et quidem istis ex sequentibus rationibus: Prima ratio est magna mea obligatio, qua teneor respectu Beneficij quotidiane legere Missam excepto die Veneris, et hoc in variis aedibus, et altaribus, quod nunc circa 18 Annos perfecti. Secunda est, si hoc Beneficium semel mihi evaserit, nulla spes ratione mei defectus recuperandi, alterum amplius effulgeat, sicut et alteribus praesertim Dominis Scholasticis, deinde ego ero coactus sine fine degere sub onere Gravi. Tertia etiam puto mereri Considerationem prae omnibus, et non minus Spe indesinenter vixi semel ad desiderii metam perveniendi ex respectu mei D. parentis, qui fortasse hoc bene emeritus ratione servitiorum quae urbi praesenti praestitit."

- 1) Aufgrund der Schrift und der Tatsache, dass der Absender meldet, nun seit 18 Jahren in Zug eine Pfründe (St. Konradspfründe?) innezuhaben, muss angenommen werden, vorliegender Brief stamme von Beat Jakob Anton Zurlauben.
- 2) Möglicherweise strebte Zurlauben an, zusätzlich zur St. Konradspfründe auch noch die Pfründe vom heiligsten Sakrament und Rosenkranz zu Sankt Oswald, die durch den Tod von Peter Matthäus Herster frei geworden war, zu versehen. Diese Pfründe aber bekam dann Franz Xaver Karl Stocklin; dieser amtete übrigens 1725 als Chorregent und später wahrscheinlich auch als Organist, vgl. *Tugium Sacrum* I 52-53, 405-406.
- 3) Bisläng konnte nicht nachgewiesen werden, ob und wann Beat Jakob Anton Zurlauben die Pfarrpfründe in Beinwil innehatte. Wir danken Herrn Dr. Franz Wigger, Bischöfliches Archiv Solothurn, für seine diesbezüglichen Nachforschungen.

---

Kopie - AH 48, 243

125

1726 Januar 1., Abtei Rheinau

A

SCHREIBEN VON PROF. P. AUGUSTIN ZURLAUBEN AN BEAT JAKOB ANTON ZURLAUBEN, FREIHERR VON THURN UND GESTELBURG, ZUG

---

"Praebet audaciam charitas, ut fiducialius loquar tibi. Ita etenim natura comparatus sum erga Te, ut quicquid calamo egreditur meo, id omne, licet cum aculeo etiam prodeat, charitatis melle perfundam. Ad rem. Ergone omnis apud

*Te mei memoria obsolevit? Currunt horae, dies, menses, et lentus (utinam lentus, antequam nullus!) ad me Mercurius advolat, ... ut penitus me lateat, quo sese statu res habeant tuae, aut quo in me sis animo constitutus. Tam durus es in Germanum et sanguine et affectu Tibi conjunctissimum. Hac mora sat diu pertinax (ut ex animo loquar) amarorem infudit pectori vulnusque inflixit, cui nemo nisi Achilles qui dedit, medelam ferre poterit et solatium. Aggravat dolorem, quod ne meas iteratim et fraterne datas responsione dignas censueris. Quare haud immerito animum suspicio subit meum, vel me totum tuo animo, vel Te totum tuo erga me affectu excidisse. Ultimum moveo arietem. Si ira (sed conscia sydera testor, inscio me tibi hepar moveri) ex qualiquali forte impulsu calamum manu tua excussit, audi Augustinum tuum cum [Publio Vergilio] Marone Tibi adgementem. QUID FVrIs? et qVonaM nostrI tIbI CVra reCessIt?*  
Aeneid 2.<sup>1</sup>

*Si inter aurea negotiorum tuorum onera rubigo mei memoriam afficit, lacrymas, ut rubiginem abluas, cum gemebundo Vate Tibi submitto:*

*In perpetVVM obLIVIs CerIs nostrI et DereLIInqVes nos? ... [?]<sup>2</sup>*

*Sit tota forsā memoriae sedes Tibi in nummis (Jam rem tetigi? sit venia joco) jacet Sepulta; erue ex sapientiae abditis illud minime vanum sed probatum de Vanitate cymelion:*

*AMans DIVItIas non CapIet eX eIs: et hoC ergo VanItas. [Liber] Eccl[esiastes] 5 [Vers 9]*

*Quid, quaeso, exteriora rimaris cum discendio? Rimare precor interiora cum impendio, utrum in iis vel partem mei reperias? Timeo ne umbram quidem! Sed quid incassum verba non proficientia perdo? Sat jocis datum. Hos inter ioco-serios gemitus ad sanina me revocat annus amodo novus ut ad pristinum scilicet affectum Duce[m] me tibi novum praebeam, ac velut Amicitiae nunquam antiquatae dextram ac internuncium cum anno novum litteras tibi submittam. Submitte lubens, et eas quidem, quas non fucus, sed syncerus inter nigras etiam calami notas, candor vivacissimis imbutus votis colorat. Solet namque Amor, penes quem summum in vota et viscera stat imperium, amicorum animos sub novo novi temporis reflexu in Vota inflectere viscerosius, et memoriam invicem novo veluti spiritu animare. Huic laudabili amoris mori (se licet morose morari videam) ut morem ex integro geram. Ipsam de caelis fortunam suspiciis evoco et immortale sub pectore gero desiderium, cuius unicum mihi inter vota centrum sit. tum profunda semper Tui inimis meis memoria, tum Tua Sub uberrimo supremae benedictionis afflectu altissima prosperitas. Sed cum, velle licet adiaceret mihi, perficere non inveniam desiderium meum precibus ad Cunas deiferas*

deponendis confirmo, quibus ab invincibili Deo evincere conabur, ut infimam meae, quantumvis in affectu fortissimae voluntatis potentiam Jspssissimo adoptatae felicitatis actu clementissime secundet ac eandem felicitatem non longaevam tantum, sed cum annis etiam in dies uberiores per suae viscera misericordiae perficiat. Sic fiet, annuente Deo, ut Tu quidem in seros annos hospes atque omni ex parte Beatus bono familiae vivas, ego autem Germano mihi longe amantissimo quam diutissime perfruor. At Necdum sat votorum, plus ultra gradior, et ibi meum pro Te desiderium sisto, uti tu aliquando animari [?]. Felicem nimirum Te cupio in id temporis, donec tandem Pater misericordiarum et Deus totius consolationis Te post plurima meritoria lustra huius saeculi saturationem Caelo consignet, ac in misericordia et miserationibus immarcessibili corona aeternam coronet.

Haec vota meo syncerissimo pectore deprompta: haec mea de Tua in me duritie Ultio, quam, ne in vanum eat, divino in tribus pro Te sacris sanguine subscriptum ibo. Caeterum si de mea in affectu fide dubietas animam vellicat tuam, mei per litteras periculum facito, et tandem effice, ut Te non in mea solum mente per Jdeam, sed in aliqua quoque chartula per litteras descriptum teneam. Scias velim, fore id summo mihi solatio, quod et ardentem cupio, et confidenter exspecto. Unicum adhuc idque breve commonefacio, ne census Tibi et mihi notus una cum adjunctis e nummorum multominus e memoriae scrinio avolet: primum vix timeo, alterum gratuito suspicor. Interim nomen tuum imis inscribo medullis, meamque semper animam unice animabit.

IaCobVs DoMInI IesV ChrIstI SerVVs dulci. ...

PS. Quinam libri mihi in desiderio sint, ex D. Cognato Quaestore et Captaneo [Wolfgang Damian] M ü l l e r [Gatte der Maria Jacobea Zurlauben] cognosces, quem hac de re certiores per litteras facio, cum in promptiorem ad manus occasionem et noticiam esse noverim. Fratres et sorores, Consanguineos et Benefactores amicos et consodales tuos quos in digitos recensere nequeo (unacum nervoso novi anni applausu ...)"<sup>3</sup>

1) Es handelt sich um den Vers 595 im 2. Buch der Aeneis von Publius Vergilius Maro (70-19 v. Chr.), vgl. P. Vergilius Maro Aeneis. Editiones Helveticae. Zürich 1952, S. 50.

2) *Thun*  
S.  
7.

3) Restlicher Text weggerissen.